e-codices

62.

ut non arguantur opera eius mala quae diligit. Qui autem facit veritatem accu
sat in se mala sua non sibi parcit. non sibi ignoscit ut deus ignoscat. quia quod
vult deus ignoscat ipse agnoscit. et venit ad lucem cui gratias agit quod illo quid
in se oderit ostenderet dicat domino. Averte faciem tuam [a pec]catis meis. Et qua
fronte dicit. nisi iterum dicat quoniam facinus meum ego a[gno]sco. et peccatum
meum contra me est semper. Sit ante te. quod non sis ante deum. Si autem post
te feceris peccatum tuum. retorquet illud tibi deus ante oculos tuos.
Et tunc retorquet. quando iam paenitentiae fructus nullus erit.
XXV §§§ Currite ne tenebrae vos conprehendant. Sequitur. Post haec venit ihesus
et discipuli eius in iudaeam terram et illic demorabatur cum eis et illic
baptizabat et reliqua. Baptizatus baptizabat. Non in eo baptismate bapti
zabat quod baptizatus est. dat baptismum dominus baptizatus a servo. osten
dens humilitatis viam. et perducens ad baptismum domini hoc est bap
tismum suum praebendo humilitatis exemplum quia ipse non respuit
baptisma servi. et baptismate servi via praeparabatur domino. et baptiza
tus est dominus viam se fecit venientibus. Ipsum audiamus. Ego sum via et
veritas et vita. Si veritatem quaeris viam tene. Nam ipse est via
quae est veritas. Audiamus iohannem. baptizabat ihesus. Diximus quia
baptizabat ihesus. Quomodo ihesus quomodo dominus quomodo dei filius quomo
do verbum. Sed verbum caro factum est. fortasis etiam hoc moveat
aug cur dictum sit baptizabat ihesus plures quam iohannes. et postea quam
dictum est. baptizabat subiectum est quanquam ihesus non baptizabat
sed discipuli eius. Quid ergo falsum dictum erat et correctum est addito cum
dictum est. quanquam ihesus non baptizabat sed discipuli eius. an utrumque
verum est. quia ihesus et baptizabat et non baptizabat. baptizabat enim quia ipse
mundabat. non baptizabat quia non ipse tinguebat. praebebant
discipuli ministerium corporis. praebebat ille adiutorium maiestatis.
§§§ et reliqua. Erat autem inquit iohannes baptizans in ennon iuxta salim [quia clarior est salim quam ennon]. quia
[ennon christo fons fortitudinis. salim missio.]
aquae multae erant ibi. et reliqua usque baptizabantur. Aenon iuxta salim locus est. ubi baptizabat
iohannes. et ostenditur nunc usque locus in octavo lapide scythopoleos ad me
ridiem iuxta salim et iordanen. Quare baptizabat iohannes quia opor
tebat ut baptizaretur dominus. quare oportebat ut baptizaretur dominus.
ne aliquis magna licet praeditus gratia vel potestate contemneret bap
tizari. Ipse dominus non contempsit baptismi sacramentum. quamvis in illo non esset quid
mundaretur in baptismo qui nullum habuit peccatum quod dimitteretur in baptismi
lavacro. Baptizatus est dominus a servo. ne servus domini baptismum contempneret.
5 Nondum enim missus fuerat in carcere iohannes. ideo hoc dixit evangelista ut intel

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 258, p. p.%2062 – Commentary on the Gospel of John by Alcuin of York (http://www.e-codices.ch/en/csg/0258/p.%2062)